DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1178

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MERCVRII XXIV. MARTII,

M. IACOBO GAVOIS, Doctore Medico, Præside.

An æstate fugacium fructuum esus innoxius?

OPTIMA quæque temperies non parum labefactatur immoderatâ tempestatum anni constitutione: ab hyeme gelidissimâ ad ferventissimam æstatem, rursus ad hyemem circuitus est, ut homo totâ ætate alternante caloris & frigoris intemperie jactatus, alterutrius exuperantiâ subinde decidat à salubri statu. Hinc morborum numerus innumerus, suæ quique tempestati familiaris. Æstas cumprimis morborum ferax; illa siquidem in Europâ immodico calore gravis: Sæpius ingeminat fervorem sirium sidus, cujus exortu aër accensus fata læta vehementiore æstu perurit. Caloris vim ægrè tolerat corpus humanum, urbanorum præsertim, quorum mollior habitus textura impatibili penè solvitur ardore. Tunc temporis æstuant omnibus præcordia, spiritus accenduntur, effervescunt humores, bilis maximè propter affinem aëri temperiem facilè incandescit: sanguis fugit venis, quæ resiccatæ attrahunt ad se se biliosos ichores: hi verò ambientis fervore plus satis incalescentes, ardentes febres progenerant: Cæterarum pariter febrium genus omne vagatur, continuarum, intermittentium: rheumatismi etiamnum sæviunt acriùs perfluentibus hac illac, quos venæ ebiberant, malignis ichoribus, atque in articulos vel spatia musculorum vacua vel membranam communem effusis.

ÆSTVOSA cœli intemperies cutis spiramenta laxâns, & quidquid spirituum ac sanguinis corporibus est exugens functiones hominis propè omnes evertit. Acris ferventium humorum vapor cerebrum irritans excutit somnum: cor frigidiore aurâ pro more minimé recreatum, æstus impatientiâ plurimùm fatigatur: ventriculi fatiscit appetentia: cibi imminuto illius calore deteriùs perficiuntur: inde cruditas multa, multa quoque biliosorum humorum colluvies in fervidis visceribus colligitur, quæ in venas & in habitum corporis evecta vitiosam nutritionem efficit; unde corpus nec promptum & alacre, nec vivido colore floridum, sed vel pallido vel citrino squallidum apparet. Alvo præterea duriore, neque urinis ex voto fluentibus, geminatur in vasis impuritas semen postmodum futura gravium morborum. Quare languente nativo calore, corruptóque alibili succo, plurimus virium languor subsequitur, cum spontaneâ corporis gravitate ac dissolutione. Tùm fastiditis solidioribus cibis, qui alimentum optimum sustentandis viribus suppeditare possent, urgente siti implacabili, potus quæritur ingeritúrque agonisticè, mirisque artibus extinguendo fervori frigidior apparatur: glacies vocatur in auxilium, cujus tamen usus nisi naturæ calidiori diebus ferventissimis non innoxius censeri debet: vino quidem permixta salubrior est, & extinguendis ardoribus summis, præcavendisque malignis febribus accommodatior: alioquin soli Dionysio Medico operam dare in domo licet opacâ periculosum.

FRVCTVVM quidam fugaces dicuntur, quòd minimè durabiles, decerptique citissimam sentiant corruptionis labem: hos Græci ὀπώρας vocant, adulto scilicet vere vel æstate matureſcentes, veluti cerasa, præcocia, mora, pruna, persica, uvæ, ficus: quæ ab arboribus petuntur; fraga, cucumeres & melopepones è plantis. Eorum sanè usum solis hominibus à naturâ concessum, atque ideo salutarem esse dubitandum non est, ut qui blandissimis saporibus non solùm grati, sed etiam odoratu aspectúque jucundissimi sint. Nutriunt leviter, próque indole suâ frigidum, humidum, tenuémque succum subministrant, unde præcipuè refrigerant & humectant; stomachi tædia discutiunt, quæ commoda nullo tempore convenientiora quàm æstatis calidissimo, quando fastidio, siti, ardore ac bile fervidâ laboratur. Modus tamen ut in cæteris eduliis est adhibendus, non enim tam naturâ suâ quàm immodico usu ac præpostero insalubres sunt æstimandi: mali si nimij, si impuro stomacho committantur, vel sequantur alios cibos: meliores primâ mensâ uberiùsque refrigerant: optimi si vino macerati, vel ipsis in ventriculum præmissis meracum superveniat, vel etiam inter edendum, solidioribus escis intermisceantur: sic fastiditis carnibus gratiam dabunt, & perfectiùs uterque cibus conficietur. Qui æstu graviore laboréve multo fuerit fatigatus, inutiliter nisi aquâ vel glacie refrigeratos edet: ita frigus eorum, quod quidam perpaucum habent, augebit, facili corruptelæ occurret, parabitque cibum æstuoso cœlo suaviſſimum ac maximè salutarem. Ante cuncta bene maturi sumendi sunt, maturitas à natura contingat, qui palea coguntur matureſcere damnantur.

FVGACIVM fructuum esu ventriculi calor aëris fervore solutus & langueſcens, maximè recreatur, demitúrque simul cum calore corporis squallor eorum frigiditate atque humiditate. Illi siquidem ingestam aliunde in ventriculum, aut quam ipse quoque generaverit, repressam attemperant bilem humorem demendæ appetentiæidoneum, atque ita intermortuæ vim illius exsuscitant; promovent concoctionem; quæque tum vehementer excruciat sitim extingunt; mox quacunque permearint, præcordiorum, jecoris, renum & cæterarum quæ apparant cibos partium remittunt ardorem: lubricóque meatu viam facilem aliis cibis sternentes, molliendo detergendoque collectam *in illis* biliosam illuviem dejiciunt, urinasque cient: unde subductis serosis humoribus, exhaustáque inferioris regionis impuritate & causi & fluxionum omnium materies abscinditur. Succo autem frigidiore atque humidiore longè latéque diffuso, spirituum sanguinis unâque corporis ardor febrili vicinus incendio defervescit; fatigati cordis levatur labor; cerebrum mitigatâ humorum acrimoniâ leni appulsu frigidioris auræ sopore componitur, insitus calor & humor temperantur, & inhibetur utriusque dissipatio. Proinde restituta singulis partibus atque humoribus temperie, functionum omnium redit alacritas, discutitur corporis languor, roburque illi atque pristinus nitor adjungitur; ut immeritò fructus hi mensis exulent eorum qui sanitatis suæ imperitè studiosi jucundas atque salutares epulas vitæ mortalium damnant, sine queis mitior vita atque salubrior degi, certè deterior nullo modo potest.

VANA profectò persuasio est & inanis metus, qui de pernicie fugacium fructuum concipitur, quando infima plebs si annus fuerit pomorum feraciſſimus, ea ad satietatem usque ingerat, nullo valetudinis damno, nullo subsequentis febris incommodo. Rustici non alio tempore habitiores sunt quàm quo solis ficubus & uvis saturantur. Non pauci præcocia, cucumeres, melopepones, qui veneno proximi creduntur, illæsa valetudine liberaliùs edunt. Certè succus illorum crudus valde metuendus non est: Aqua frigida usqueeò accommodata est hominis naturæ, cruda licèt, ut aquæ potores ferè semper bellè se habeant, paucioribusque morbis conflictentur. Ecce olera alimentorum omnium facilè deterrima, Medicorum jussu quotidianos veniunt in usus, magno emolumento sanitatis: illa ipsa nobilium requies lactuca, cujus succus exitialis habetur, non minimo æstuantium stomachi cerebrique solatio comeditur. Porrò mororum sterilitate, vulgata est olim podagra, ut ætatis sexûsve discrimine nullo sæviret atrocius. Quinetiam Medicis authoribus præcocia, melopepones, odore cardiacis auxiliantur, esu febricitantibus: eorumdem consilio pomis persicis ventriculi sanatur inflammatio: Iulium Pontificem maximum, stomachi vitio prostratum, & ob id edulia cuncta repudiantem, oblatum pomum persicum ad non dubiam vitæ spem feliciter erexit. Et si fugaces fructus adeo vitiosi essent, ut videri volunt, vino tamen maceratis aut beniginori alimento permixtis, pernicioſa vis si quæ esset, eriperetur, fieretque cibus malè affectis utiliſſimus. Revera in alimentis quæ succi bonitate non adeò præstant, Medici modum quemdam adhibentes & ordinem, castigant eorum vitia; & quæ pravitatis aliquid præ se ferre videntur, levi mutatione quidquid utilitatis habent, in humanæ salutis usum convertunt.

Ergo æstate fugacium fructuum esus innoxius.

F.M.P. BIBLIOTHECA

Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS MATHON, Abbavillæus, A. R. S. H. M. DC. LXVI.